

DISSERTATIO THEOLOGICA MORALIS
DE

Z E L O

GERMANIS:

Vom Eifer,

Dessen mancherley Arten, Schaden und Nutzbarkeit,

IN

GEORGIAE AVGVSTAE

AVDITORIO THEOLOGICO

PVBLICAE SVBIECTA DISPVTATIONE

D. X. MARTII MDCCLII.

PRAESIDE

CHRISTOPH. AVGVSTO HEVMANNO

S. THEOL. D. EIVSQ. ET HIST. LIT. PROF.


ET H. T. FAC. PHIL. DECANO

A

IOANNE PHIL. FRIDER. LESSERO

NORDHVSANO

S. THEOL. CVLTORE.



RECUSA A. MDCCLIII.

Coll. diss. A
178, 27

178 (27)

~~178~~ 178

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

JOHN

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

GEORGE

AND

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY



UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY



LEMMATA.

Doctrinae de zelo utilitas & necessitas, I. Zeli homonymia, II. Essentia veri zeli & definitio, III. De zeli inseparabilitate a vera fide, deque verorum zelotarum paucitate, IV. Zeli exempla Biblica, V. De zeli effectibus extraordinariis mereque ciuicis, adeoque minime imitandis, VI. Veri zeli requisitum ac praesuppositum est amor proximi, fluensque hinc modestia, VII. Zelus est vel omnium Christianorum communis, vel Principum Theologorumue proprius. Rursus alius zelus est theoreticus, alius practicus, VIII. Zelus etiam diuidi debet in publicum & priuatum. De utroque praecepta potiora, IX. X. Tres falsi zeli fontes. De zelo odii, XI. Odii zelotarum diuisio in aserinum, leoninum, & vulpinum, XII. De zelo hypocriseos, qui triplex. Primum genus est zelus superbiae, XIII. Alterum zelus auaritia, tertium zelus voluptatis, XIV. De zelo ignorantiae theoreticae, XV. De zelo ignorantiae practicae siue imprudentiae, XVI.



D. G.

I.

THEOLOGIAE moralis inter doctrinas
 haud sane exigui momenti ea est, quae
 zeli naturam describit, iustaque de spi-
 rituali hoc affectu praecepta exhibet. Est namque
 omnium Christianorum communis hic affectus,
 vereque a) Augustinus: *Qui non zelat, inquit,
 DEVM non amat.* Eo magis autem necessaria
 haec est doctrina, quod multi sibi, interdumque
 & aliis, videntur hoc sancto affectu correpti, quo-
 rum zelus est vitiosus DEOque minime gratus.
 Falsi igitur zeli specimina à vero laudabilique ze-
 lo ita sunt discernenda, vt vtriusque proprietates
 & criteria proferantur in apurum. Zelotarum
 certe quidem plena sunt omnia. Nec vlla est ne-
 que Christianorum, neque aliarum gentium re-
 ligiosa secta, quae non zelo effervescat in caeteras.
 Iam cum fieri non possit, vt dissentientium de reli-
 gione vtraque pars zelo ardeat iusto vereque pio,
 praetereaque falsi zeli in sacro codice multa sit
 mentio, in scholis theologis minime debet ne-
 gligi

a) In lib. *contra Alimantum, Manichaeum, cap. 13.*
 vbi etiam docet, esse hoc proverbium ecclesiasticum.

gligi hoc argumentum, sed pertractari accuratissime.

II. Eo fine initio statim diuersas huius vocabuli notiones considerari oportet, ne permiscendo *b)* eas obscuram reddamus hanc doctrinam & inconcinnam. Ad *c)* homonymiam igitur *zeli* Biblicam quod attinet, ζήλος & ζυλοῦν subinde vitii nomen est, eiusque foedissimi & vetitissimi, & *inuidiam d)* significat. Quo sensu occurrit *Act. VII.*

A 3

9. Rom.

b) Accidit hoc Hoornbeckio, qui in *Theol. pract. lib. VIII. cap. 10.* de zelo disputans perpetuo confundit feruidum pietatis studium (nam & hoc *zelus* vocatur in sacris literis,) cum ira spirituali. Ac eandem mixturam deprehendimus in G. Nitschii libro *de zelo ministri Ecclesiae*, quem inscripsit *Mystam feruidum*: itemque in Pieteri *Theol. mor. lib. III. cap. 9.* Acutius vidit Placettius, aliud exhibens caput de zelo illo, qui est feror pietatis vitaeque sanctae, aliud de illo zelo, qui in aliorum siue errores siue peccata inardescit. De priori enim differit in *P. III. Theol. mor. p. 21. - - 44.*: de posteriori in *P. VI. p. 48. - 63.* versionis Germanicae.

c) De etymologia *zeli* agit Lambertus Bos in libello *de etymologia Graeca p. 24.* docens, non, quod vulgo fit, à ζέω λίαν, sed à solo ζέω (*ferueo*) id nominis ductum esse. Hinc ζέων τῷ πνεύματι *Act. XVIII. 25.* & *Rom. XII. 11.* itemque ζεστός, *feruidus*, zeli que plenus *Apo. III. 15.*

d) Hoc sensu ζήλος dicitur à Clemente Romano in *epistolae ad Corinthios prioris cap. IV. V. & VI*: vbi & bis coniungit ζήλον & φθόνον perspicuitatis studio.

9. *Rom. XIII. 13. 1. Cor. III. 3. XIII. 4. 2. Cor. XII. 20. Gal. V. 20. Iac. III. 14. 16. IV. 2.* Deinde ζήλω feruidum alicuius studium erga alterum significat ardensque desiderium inseruendi eius commodis, *Col. IV. 13*; vel eius imitandi & e) aemulandi pietatem, *2. Cor. VII. 7. IX. 2. Galat. IV. 17. 18.*; vel eius firmandi sanctitatem, *2. Cor. XI. 2.* Tum ζήλω est feruidum acerrimumque pietatis studium, *Apoc. III. 15. 16. 19. Tit. II. 14. 1. Cor. XII. 31.* (conferendo cum *XIII. 1. 2.*) vel feruidum studium tradendae doctrinae Christianae, *1. Cor. XIV. 1. & 12. & 39.* Denique ζήλω est ira aduersus irreligiositatem: quo sensu & DEO tribuitur *Hebr. X. 27. Exodi XX. 5.* & hominibus, siue eam, quae vera est, religionem, siue eam, quae videtur vera, cum falsa sit, ita propugnantibus, ut aduersam summo studio impugnent & funditus tollere annitantur, *Rom. X. 2. Gal. I. 14. Phil. III. 6. Act. V. 17. XIII. 45. XVII. 5. XXI. 20. XXII. 3.* Postremus hic sensus nostrae huic disputationi praebet materiam, in qua, quis verus DEOque gratus sit zelus, quis falsus ideoque fugiendus, breuiter quidem, sed quam fieri à nobis poterit, distin-

e) De ζήλω quatenus aemulationem significat, Vossius agit in *Instit. orat. lib. II. cap. 3.*

stinctissime demonstraturi sumus lucem sequentes sacri codicis.

III. Certam autem ut sequamur in hac disputatione normam, statim exhibebimus veri zeli definitionem, ex eius exemplis in sacro codice occurrentibus confectam. Est igitur verus zelus *acerrimus dolor, nascens in mente amoris veneratio- nisque DEI plena, cum cognoscit, vel non praestari summae maiestati debitum honorem debitamque re- uerentiam, vel etiam plane contemni DEVM eius- que doctrinas, praecepta, & instituta: isque erum- pens in feruidum studium DEO, regi patrique uni- uersi generis humani, debitum honorem cultumque vindicandi.* Apparet hinc, recte zelum etiam ap- pellari *f) iram spiritualem*, hoc est, à Spiritu san- cto in piorum mentibus accensam. Iam cum *ira & iracundia* differant, ut actus & habitus, merito statuimus etiam *iracundiam spiritualem*, id est, eum mentis habitum, ut, quotiescunque DEI maiestatem violari videt, pia ira exardescat.

IV. Consequitur hinc manifeste, in men- tibus vera pietate non imbutis siue in hominibus
irrege-

f) Ita vocatur a Feldenio in *Instit. Theol. mor. P. II. cap. 2. §. 25.* Buddeo in *Theol. mor. P. I. cap. 1. sect. 6. §. 21.* & Placettio in *P. VI. Theol. mor. p. 50.*

irregentis vel non inesse zelum, vel zelum inesse
 falsum & adulterinum. Cum enim zelus amoris
 erga DEVM fructus sit naturalis, qui non vero,
 hoc est, ardentissimo amore DEI plenus est, eum
 aut plane vacuum esse zeli, aut iram carnalem ven-
 ditare pro spirituali ira, necesse est. *Qui me amat,*
adeoque amore mei incalescit, verbum meum ser-
uat, praeceptisque obedit meis, inquit *g)* Serua-
 tor. Quare quemcunque iactat zelum homo
σαρκικός, is falsus & simulatus est: ac, vbi multum
 est zeli, parum Christianae virtutis, ibi spurium
 feruere zelum, dubitare non debemus. Iam cum
 rarissimi sint amatores DEI, nec hodie defierit ve-
 ra iustaque esse querimonia *b)* Davidis de pauci-
 tate sanctorum, lucide (proh dolor!) apparet,
 plerorumque zelum non esse verum omnique ex
 parte iustum, & maximam zelotarum partem non
 ira a sancto Spiritu accensa flagrare, sed aestu pra-
 uorum affectuum, sub specie pii zeli se occultan-
 tium. Nec vero minus peccant, qui plane carent
 zelo, quosque nec aduersa verbo DEI doctrina
 nec morum impietas commouet: cuius vitii ex-
 emplum, quod ad mores attinet, praebebat Eli,
 ponti-

g) Ioan. XIV. 21. 23.

b) Psal. XII. 2.

pontifex maximus ; quod ad doctrinam, doctores illi, qui notantur *Apoc. II. 14. & 20*: quos v-
 trosque *canes mutos* appellat Iesaias *LVI. 10*. Quis
 vitiosae huius lenitatis fons sit, haud est obscurum:
 cum modo spes & amor mundanae tranquillita-
 tis ac felicitatis, modo metus lubeundi pro zelo
 periculi vel damni, tales ad silentium adigat. Est
 autem fructus huius teporis tristissimus. Hoc e-
 nim pacto sit, vt & perniciosi errores latissime eua-
 gandi viam sibi faciant, & corruptio morum pae-
 ne reddatur immedicabilis.

V. Exempla, quae imitemur, veri zeli in
 sacro codice occurrunt permulta. Quis non re-
 cordatur irae Mosis *i)* in vitulum pariter & vitu-
 lantes Israëlitas? Hiskias rex laudabiliter *k)* fae-
 uiebat in simulacra Deorum, imo in ipsum aene-
 um Mosis serpentem, cum & hunc idolum fecis-
 sent Iudaei. Exemplum hoc eius pronepos, Io-
 sias, imitabatur *l)* fortiter. Lotho tormenti in-
 star, querelas ipsi & lacrymas exprimentis, fuisse
 flagitiosissimam Sodomaeorum vitam, testis
 est *m)* Petrus. Stephanus, cum Iudaei IESVM

B agnoscere

i) *Exodi XXXII. 19. 20.*

k) *2 Reg. XVIII. 4.*

l) *Ibid. c. XXIII. 4 - - 15.*

m) *2 Epist. II. 8.*

agnoscere Messiam recusarent, heroica voce *n)* inuehebatur in hereditariam ipsorum contumaciam. Paulus cum Athenas ingressus esset turpissimis refertas superstitionibus, *παρωξύνετο ο) τὸ πνεῦμα αὐτῆ ἐν αὐτῷ.* Apollo, Iudaeorum ut *ἀπιστίαν* expugnaret, nec ingenio nec linguae *p)* parcebat. Cui socium adiungere non dubitamus Lutherum nostrum, sanctissimam iram non continentem, cum Tezelius ludibrio haberet sacra Christiana & in quaestum conuerteret, simulque nulli vitiorum generi viam non panderet patentissimam.

VI. His exemplis zeli Biblicis miscentur quaedam singularem redigenda in classem. Feruor videlicet zeli interdum fuit plane extraordinarius, cum scilicet piae cuiuspiam menti immissus fuit inspiratione & agitatione DEI immediata. Tum vero homo non suum zelum exercuit, sed zelantis DEI administer fuit & instrumentum: nec ille id egisse dicendus, quod actum est, sed per eum DEVS. Zelotae igitur hi *θεόπνευστοι* non praebent exemplum, quod imitentur alii: & imperite pariter ac iniuste fecerit, qui idem ausus vindictam criminum

n) Act. VII. 51. 52.

o) Act. XVII. 16. Simile exemplum cap. XIV. 4.

p) Act. XVIII. 25.

num exercuerit neque iustus neque instinctus à DEO. Talem θεόπνευστον ζήλον habebat q) Moses, cum esset crudelitatis ultor cruentus : talem r) Eh-

B 2 hudus,

q) *Exodi II. 12.* Primus hic erat instinctus diuinus, quo agitabatur Moses, postero tempore largissime implendus DEI spiritu. Similis erat primus Simsonis instinctus *Iud. XIV. 6.* Scilicet Aegyptium tyrannulum trucidando docebat eum, quem e mortis faucibus eripuerat, eiusque fratres, in propinquo esse liberationem diuini populi a tyrannide Pharaonica, & in ipsa tyranni aula versari eum, qui vindicaturus sit Abrahami posteros in libertatem. Talem, hoc est, immediatae inspirationis zelum etiam Pinehaso, cum *Num. XXV. 7. 8.* per libidinantium hasta transfigeret, tribuunt multi: & in his Hoornbeeckius in *Theol. pract. T. 2. cap. 10. p. 123.* & Buddeus in *Disp. de iure zelotarum §. 32.* itemque in *Theol. mor. P. 2. cap. 4. §. 6. p. 710.* Sed mihi quidem aliter videtur existimandum. Quid enim impedit, quo minus credamus. Pinehasum fuisse eorum iudicium vnum, quos v. 5. auctoritate diuina Moses iubebat morte afficere eos, qui tum peccabant in DEVM? Ac satis liquet, inspectante Mose, nec improbante, adeoque approbante, id facinoris a Pinehaso patratum fuisse.

r) *Iud. III. 21.* Calouius in *Bibl. illustr. ad b. I. v. 19.* negat, *Ehudem absolui posse a peccato,* statuitque, *eum prudentia filiorum saeculi usum, atque humani, aliqua passum esse.* At rectius Seb. Schmidius in *Comment. ad hunc librum p. 269. sq. & 307. sqq.* docet, Ehudum exsecutum esse iudicium DEI, adeoque iuste fecisse tanquam

hudus, Moabitarum regem gladio enecans : talem Elias, & Baalicos sacerdotes s) mactans, & in Achabi milites ignem t) de coelo euocans : talem u) Petrus, par impiorum coniugum subita morte plectens : talem x) Paulus, improbum antagonistam oculorum vsu priuans : & alio tempore y) in plenos malitiae deprauatores doctrinae apostolicae pronuntians z) *anathema*. Ac ipse

DEI ministrum : ac isti sententiae accedit etiam Buddeus in *T. 1. Hist. eccl. V. T. p. 866*. Ac doctrinae huic ideo subscribi oportet, quod e v. 20. apparet, Ehudem fuisse prophetam. Hinc namque sequitur, eum eadem illam patrasse instinctu DEI.

s) *1 Reg. XIII. 40*. Iussu Numinis immediato fecisse hoc Eliam, nec Baelius dubitat in *Commentario* suo ad *Compelle intrare P. II. cap. 4. p. 319. & 326*. Et qui dubitare possis, cum sit manifestissimum, alterum factum, quo milites necauit Elias igne coelesti, non Eliae proprie, sed DEO, tribuendum esse?

t) *2 Reg. I. 10. & 12*.

u) *Act. V. 5. & 10*.

x) *Act. XIII. 9. & 11*.

y) *Gal. I. 8. 9. & 1 Cor. XVI. 22*.

z) Iudicialis enim haec vox est, non cuius zelotiae conueniens, sed prophetis & apostolis, quippe non suam vocem edentibus, sed vocem summi iudicis, DEI : quique praeterea diuinitus nacti sunt cognitionem de haereticorum perfecta & ad finem vsque vitae

ipse CHRISTVS a) quodammodo hic est commemorandus, templi violatores flagello caedens. Nec est hic omittendum illud huiusmodi zeli exemplum, quod multos vehementer offendit, Iosua, totam gentem Cananaeam, à qua nihil unquam acceperat iniuriae, bello tam hostiliter persequens, vt ad internecionem vsque eam deleret. Scilicet Iosua totusque ille, quem ducebat, populus non suam rem agebant, sed ministri & instrumenta atque, vt ita dixerim, carnifices DEI erant, gentis illius atrocissima scelera & infinita flagitia sanguine nunc vindicantis, qui paria crimina hic b) aqua, illic c) igne ultus fuerat. Sapientissime d) Grotius; *Populi Cananaei diuina sententia dam-*

B 3 *nati*

duratura malitia. Vid. *Matth. X. 20. Rom. XV. 8. Ierem. I. 9. 10.* Ac recte Feldenius in *instit. Theol. mor. P. III. cap. 5. §. 23*: *Non possunt se, inquit, homines tueri propheticis imprecationibus, aut apostolica potestate extraordinaria, cum ex officii rationibus aut instinctu diuino poenam hostibus, non suis, sed DEI, denuntiauerint.*

a) *Ioan. II. 15. & 17. Matth. XXI. 12.* Conf. *Psalms LXIX. 0.*

b) Loquimur de diluuiio.

c) Scilicet in excidio Sodomae vicinarumque urbium.

d) *Lib. II. de iure belli & pacis cap. 15. §. 9. n. 1. & lib. I. cap. 2. §. 2. n. 1.*

nati sunt, eiusque sententiae Israëlitae erant execu-
tores delegati. Vnde haec bella in sacris DEI bella
proprie nominantur. Atque haec etiam nostro-
rum e) Theologorum communis est doctrina.
Quam horrendum igitur peccavit olim pecca-
tum f) Bernhardus Abbas, cum argumento ab
hac Israelitarum in Cananaeos expeditione ducto
animos regum incendit ad religionem Christia-
nam armorum vi amplificandam, bellique vere
sacri auctor suatorque exstitit!

VII. Nunc distinctius acturi de vero zelo;
ante omnia monemus, zelum non in errantes, sed
in errores, non in peccantes, sed in peccata, debe-
re exardescere. Cum enim verus zelus amorem
erga DEVM supponat, rectissime etiam amorem
proximi statuimus esse zeli praesuppositum. *Qui
enim non amat fratrem suum, nec DEVM amat.
Et, si quis fratrem suum odit, amarique à se DE-
VM dicit, mendax est.* Ioannis apostoli hoc es-
se g)

e) Vid. Buddei *T. I. Hist. eccl. V. T. p. 805.*

f) Ita & Buddeus censuit in *Disp. de expeditionibus
cruciatis §. 25.* itemque Baelius in *Dictionario critico* vid.
Bernard nota E. Pessime igitur Bongarsius volumen
illud, quo complexus est historicos bellorum illorum,
inscripsit *Gesta Dei per Francos*, cum inscribi oportuisset
Gesta Paparum per Francos.

se g) iudicium θεόπνευστον, quis nescit? Zelus proinde verus esse non potest, nisi vbi modestia b) regnat, sinceri amoris index fructusque. Non enim potest amor proximi siue errantis siue peccantis cum qualicunque successurae poenitentiae spe coniunctus non efficere, vt misericordia ebulliat: quae odium eius & conuiciorum imbrem repellit longissime. Exemplo est Ieremias, ita peccatores i) affatus: *Quod si me audire nolueritis, in occulto flebit anima mea propter superbiam vestram, & misero plorabo.* Exemplo item est k) Paulus: *Multi ambulat, inquit, de quibus saepe dixi vobis, nunc autem & flens dico, vt inimici crucis CHRISTI.* Imo ipse CHRISTVS exemplo est, quem Marcus l) testatur τὸς ἀπίστοις intuitum esse vultu quidem irato, sed συλλυπέμενον. Inprimis erga piorum hominum ingenia delirantia mites nos modestosque praebere debemus: cuius virtutis exemplum posteris imitandum exhibemus

Ven.

g) 1 Ioan. IV. 20.

b) Iam nonnihil de hac zelantium modestia diximus in Disp. de mansuetudine §. 17. sqq.

i) Cap. XIII. 17.

k) Phil. III. 18.

l) Cap. III. 5. Vid. & Lucae XIX. 42.

Ven. Langium in libro ipsius *de reuelationibus m)* p. 324. *sqq.* Nec deflectant nos ab hac via magnorum clarorumque hominum exempla, sed hic Witsii *n)* illud placeat: *Fecerint illud Athanasii, Nazianzenii, Basilii, Hieronymi, alii: ego istam verborum duritiem saeculi vitio hominumque illorum ingenio imputare, quam ad imitationem commendare, malo.*

VIII. Zeli nunc age consideremus diuersa genera. Est igitur primum vel omnium Christianorum communis, vel imperantium aut doctorum ecclesiasticorum proprius. Nos quidem nunc virtutem Christianorum communem tractamus: adeoque, quae siue Regii siue Pastoralis zeli sunt propria, alium seruamus in locum. Communis ille zelus vel *theoreticus* est vel *practicus*, hoc est, alias in errores efferuescit, alias in peccata. Omnium maxime tendit zelus theoreticus ad grauissimos & ipsa religionis fundamenta concutientes errores: quo in genere rectissime se gessit Lutherus, doctrinas Euangelii corruptrices fortissime impugnans, & ad veram religionem restituendam tam studiose incumbens,
 vt

m) Vid. ibidem p. 255. *sqq.*

n) In *Miscell. sacr.* T. II. p. 915.

vt tandem euaderet (quo quidem elogio Augustinum olim affecit o) Hieronymus,) conditor antiquae rursus fidei. Qui & alios p) adhortabatur, vt Papae errores euellere conarentur summo studio. Ad quem Lutheri locum sapienter haec adscripsit q) Seckendorffius: *Utilitatem etiam nostra aetate obseruatio haec Lutheri habet, si prudenter ad locum, tempus, & pericula ab aduersariorum doctrina, prout illa propinquiora aut remotiora sunt, respiciatur.* Caeterum cum errores religiosi non solum è praua sacri codicis interpretatione nascantur, verum etiam è corrupta à corruptis ingeniis theologia naturali, non postremus boni zeli scopus est, vt pseudophilosophicis erroribus veritati diuinae aduersis sua vis nocendi iusta confutatione adimatur. Nec est illorum zelus dimittendus illaudatus, qui alios in reip. perniciem inuectos & inueteratos errores de medio tollere student: qualis ante nostram aetatem erat pleraque doctrina de magia. Ac hunc speciatim zelum grauiter exercuit laudatissimus nostrae ecclesiae Theologus, r)

C

Mey-

o) In epistola ad eum quadam, quae inter Augustinianas est *vigesima quinta.*

p) In Praef. *Commentarii sui in Hoseam.*

q) In *Hist. Luth. lib. III. §. 127. p. 583.*

r) In seiner Erinnerung von dem Laster der

Meyfartus, itemque Iesuita quidam Germanus, Fridericus s) Spee, quem ille ducem secutus est. Cum vero multis ignoscat erroribus DEVS, peccato nulli, hoc est, errores nonnullos respectu humanae imbecillitatis ferat ac tolleret, peccatis autem velit abstineri omnibus ac singulis; longe iustissimus est zelus piorum practicus: cuius insignis specimen exhibet *Psalms CXIX. 53. 139. & 158.*

IX. Uterque autem zelus modo *publicus* est, modo *privatus*. Publicus dicitur, qui vel publicis in sermonibus vel in libris publicam in lucem editis elucet & exsplendescit. Caue autem statuas, publicos errores, publica peccata semper insequenda esse zelo publico. Interdum enim, qui publice erravit, facilius reducit ad veritatem refutatione erroris privata. Vbi igitur hic gradus admonitionis sufficit, non est progrediendum longius. Ac solet publica erroris refutatio errantes reddere difficiliore ad errorem agnoscendum.

Hic

Zauberer. Ibi caput octauum est **von dem ungerechten Eifer in Verfolgung der Zauberer.** Ac eodem de argumento sunt subsequencia octo & viginti capita.

s) Huius *Cautio criminalis in processibus contra sagas ἀνωμόως* edita est Rintelii 1631. eiusque versio Germanica Halae 1704. Recensetur hic liber a Ven. Haubero in *Bibliothecae magicæ T. III. p. 1. sqq.*

Hic & illud obseruandum, nec publicam religionem, quae ipsius Principis est, atro notari carbone debere publice. Exemplum hic pariter & praecipuum sequendum est summi apostoli, qui nec Ephesi conuicia in Dianam *t)* effundebat, & Titum *u)* iubebat vetare suos βλασφημεῖν falsas religiones imperantium, iisque praecipere, vt sint ἐπιεικείς, ostendantque *πραότητα πρὸς πάντας*, hoc est, etiam iis siue Principibus suis siue ciuibus suis, qui non erant participes Christianae fidei. Quo & Petri *x)* illud pertinet, ita iubentis defendi ad religionis diuersae imperantes religionem Christianam, vt mansuetudo seruetur ac debita iis reuerentia. Quare nec laudamus Hugonotos, qui nec Regis sui *y)* edictis permouebantur, vt neque e sacris cathedris neque in libris suis Papam appellarent *z)* Antichristum. Ac potissima haec videtur

C 2 tur

t) Act. XIX. 37.

u) Tit. III. 2.

x) 1 Epist. III. 15.

y) Vid. editae a. 1710. ab Aymonio *Syloges Conciliorum Reformatae in Gallia ecclesiae* Index vterque vid. *Antechrist.*

z) Non pertinet hoc monitum ad doctores siue nostrae siue Reformatae religionis degentes sub addicto suae religioni Principe in Germania. Nam etsi Imperator Romana est de ecclesia, suas tamen quisque Prin-

tur causa fuisse secutae ipsorum persecutionis, qua tota Reformatorum religio illis in terris opprimebatur. Nec quisquam lanae mentis Christianus probabit Abdae *a)* episcopi factum, contra mitissimum regem ethnicum se gerentis insolentissime, & crudelem sua contumacia prouocantis tempestatem in illius regionis ecclesiam. De cuius generis erroribus zeli pluribus in prisca ecclesia commissis non est hic dicendi locus.

X. Venimus ad publicum zelum practicum, qui nec ipse erumpere debet in peccata *b)* eorum, qui

ceps habet terras ciuili suo solius imperio subiectas, quod vocari solet ius territoriale. Ac ab ipsis Imperatoribus concessa eorum doctoribus est haec libertas publice. Vid. Musaeus in *Disp. apolog. prima pro Bibliis Ernestinis* §. 56. *sqq.* & 73. *sqq.* Quanquam libenter concedimus, doctores nostros eam doctrinam tradentes aequae molli in Pontificios esse debere animo, ac olim Paulus erat, cum *flens* castigationem suam humectabat lacrymis commiserationis, *Phil. III. 18.*

a) Narrat Theodoricus *Hist. eccl. lib. V. cap. 39.* Vid. & Baelii *Dict. vid. Ab. las.* Recte Eliberinus canon LX: *Si quis idola frugerit, & ibidem fuerit (ab ethnicis) occisus, placuit in numerum eum non recipi Martyrum.*

b) Recte ita & Ven. Deylingius censet in *Instit. prud. Past. P. III. cap. 2. §. 24.* Vid. & *Nouorum Act. erud. Supplem. T. I. p. 180. sq.*

qui remp. regunt. Haec enim libertas cum summa reuerentia, quae debetur Principi, consistere nequit. Deinde publica castigatione detrahitur sua Principi auctoritas, adeoque in discrimen adducitur salus civitatis. Quare nec Nathan nec baptista Ioannes adulterium Principis zelo suo prosequerentur, nisi intra priuatos parietes. Priuata vero castigatio etiam alibi nobilissimos ferre solet fructus. Imo magna haec est fundi Christiani calamitas, quod priscus ille mos *c)* vitia familiarium familiariter & humane reprehendendi ferme vbique cessauit: quanquam non desunt Theologi *d)* fraternam istam correptionem etiam atque etiam commendare. Illud tamen magnopere hic cauendum, ne, quo vitio laboras ipsemet, id accuses in altero. Notum est Servatoris monitum *Matth. VII. 5.* Ac pulchre Thomas a Kempis *e)* praecipit: *Habe primo zelum super te ipsum; Et tunc iuste zelare poteris proximum tuum.*

C 3

XI. Sa-

c) Vid. Arnoldi *Abbildung der ersten Christen* lib. III. cap. 7. & eiusdem *caput XV.* libri *de fratrum sororumque appellatione Christiana.*

d) E. g. Feldenius in *instit. Theol. mor. P. III. cap. 5. §. 15.*

e) *Lib. II. de imit. Christi cap. 3. §. 1.*

XI. Satis de veri nominis zelo diximus pro breuitate nostra. Nunc de falso *f*) itidem strictim praeciseque differemus. Tria autem, si rationem subducas, zelum faciunt falsum, odium proximi, hypocrisis, & ignorantia. Spurius igitur eorum zelus est, qui in eos, qui secum in religione dissentiunt, igne vel ferro saeuiunt. Huiusmodi errores, quos putabant, combussissent Patres Constantienses, literis scilicet mandatos, aeque id lecturi eramus animo in historia: at, quod sanctum virum coniecerunt in flammam, a tyrannici odii crimine excusari nequit. Imo ne illud quidem defendi potest, quod Geneuae *g*) Seruetus idem subire supplicium coactus est, etsi verus utique haereticus. Talis erat Petri, cum nondum esset apostolus, zelus, gladium stringentis mortemque intentantis seruo pontificis. Tali etiam zelo flagrabant Zebedaei filii, cum exclusus

f) Scite Rob. Rollocus, Academiae Edinburgensis Theologus, in M. Adami *Vitis exterorum Theologorum* p. 91. docet, *fouendum quidem in Ecclesia zelum genuinum, esseque eum ignem coelitus descendentem, quem ali in templo Domini oporteat; explodendum tamen zelum adulterinum, qui ignis sit peregrinus.*

g) Damnat hoc factum etiam Fechtius in *Apparatu ad Epistolas Theologorum saec. XVI.* p. 261.

sus fuisset CHRISTVS a vici alicuius Samari-
 tani incolis, ignem de coelo euocare gestientes :
 quos propterea *filios tonitru* vocabat *Φιλανθρωπότα-
 τος* magister suus. Idem zelus accendit medio,
 quod vocant, aevo bella in Saracenos, itemque
 in Waldenses & Albigenes.

XII. Habet autem falsorum zelotarum
 odium non vnam faciem : commodeque distin-
 gui potest in anserinum, leoninum, & vulpinum.
 Primam appellationem Ciceroni debemus, qui *b)*
 malos aduocatos innocentibus periculum struen-
 tes vocat *anser*, quia *tantummodo clamant, no-
 cere non possunt*. His similes sunt zelotae *μισάν-
 θρωποι*, qui verborum duntaxat fulmina pro con-
 cione in eos, qui sibi videntur haeretici, emitte-
 re valent. Magis proprie *anserini* zeli nomen
 meretur eorum ardor, qui saeuissimo licet & ani-
 mo & vultu induti non tamen gladium manu te-
 nent, sed pennam anserinam, & scribendo expo-
 nunt odio publico aliter sentientes. Vah quanta
 anserum horum multitudo circumstrepebat Lu-
 therum nostrum, partim e cathedris ecclesiasticis
 in eum declamantium, partim libros in eum e-
 uomentium ! *Leoninum* vero zelum dicimus, qui
 non

b) In Orat. pro Roscio Amerino cap. 20.

non intra verba consistit, sed brachii saecularis, quod vocant, ministerio vtens in vindictam dissensionis erumpit acerbissimam. De hoc zeli genere loquentes cum non possimus illius prouerbii non recordari, quo, leonina vis vbi non succedat, vulpina arte vtendum esse, dicitur, merito adiungimus *vulpinum i)* zelum. Quo nomine in primis eorum zelum signamus, qui crocodilino ardentes odio impetrare tamen à se valent, vt lacrymas emittant & suspiria, id agentes omnino, vt, qui lacrymosis suis precibus non permoti fuerint ad sententiam mutandam, maiori iuris specie vel vitam amittant vel vitae felicitatem,

XIII. Progredimur ad illum zelum, quem parit *hypocrisis*. Haec cum modo superbiam tegat, modo auaritiam, modo voluptatem, primum de *zelo superbiae* dicemus. Talis erat Pharisaeorum zelus discipulos suos dimittentium *k)* ad faciendos prolelytos; vt scilicet magna sectatorum turba adiuncta potentiores euaderent venerabilioresque. Tali zelo Cardinalis Caietanus inflammabatur, cum Lutherus, vir iuuenis, ipsi cedere nollet

i) Duo huius zeli exempla Wolfius profert in *Historia Bogomilorum cap. I. §. 9.*

k) *Matth. XXIII. 15.*

nollet ingenio, imo ipso, veterano Theologo, sibi videretur sapientior, ostenderetque, Cardinalem à se non haberi pro oraculo vel pro Pythago-
ra quodam. Talis quoque zelus in iis aestuat sacerdotibus, qui, cum ad lectitandum domi sacrum codicem auditores non excitent, acerrime in eos inuehuntur, qui suas conciones minus frequenter obeunt. Eos item agitat hic zelus, qui ideo exercent artem polemicam, vt magnam consequantur famam orthodoxiae: quique, vt verbis utamur *l)* VVerenfelsii, existimant, in hoc honorem suum verti, si opiniones sectae, cui nascendi conditione addicti sunt, triumphent & caeteris omnibus praeualeant.

XIV. Ad auaritiae zelum quod attinet, totus ille tum inardescibat, cum, indulgentias esse doctrinae Euangelicae aduersas, docere aulus esset Lutherus. Huius generis zelotae sunt, qui in vitia publice facundissimi tum tamen zelum priuatum *m)* reprimunt, cum, qui peccant, magna ipsis tribuunt & multa beneficia. Denique & vo-

D *luptas*

l) In *Sylloge Dissert. theol. p. 261.* Non possumus hac occasione non laudare praestantissimi huius viri *Orationem de zelo*, bis recusam, primum Bremae, deinde Tubingae.

m) Notat hos etiam Augustinus *lib. 1. de C. D. cap. 9.*

luptas sui cultoribus zelum exprimit, cum talia docentur à piis recteque eruditis, quae si vera sunt, non licebit posthac indulgere ⁿ⁾ genio, atque etiam longe erit vita laboriosior.

XV. Tandem se nobis offert *zelus ignorantiae*: quem ut cognoscamus distinctius, primo zelum ignorantiae *theoreticae* contemplaturi sumus. Hoc igitur zelo feruent, ad quos hereditate venit falsa religio. Hinc Antiochus rex in Iudaeos saevit ardentissime: hinc Decius & alii Romani Principes in Christicolas: hinc Pontificii omni tempore in doctores sacratissimae veritatis ab ipsis non agnitae: hinc in CHRISTVM eiusque apostolos ^{o)} Iudaei: quos ζήλον habuisse ait ^{p)} Paulus, ἀλλ' ἔκατ' ἐπίγνωσιν. Qui zelus id etiam vitii habet, ut homines reddat indociles, tenebrasque ipsorum mentibus offundat, quo minus veritatem agnoscant ab aliis exhibitam. Irruunt vero simul caeco impetu in quosuis à se dissentientes, siue vera doceant siue falsa. Quod genus hominum

ⁿ⁾ Notus est Erasmi iocus ad Electorem Fridericum, Lutherum ideo haberi haereticum, quod sacrorum epulorum *ventribus* minetur vacuitatem.

^{o)} Act. V. 17. XIII. 45. Ac praedixerat id apostolis suis CHRISTVS Ioan. XVI. 2. 3.

^{p)} Rom. X. 2.

num argute canibus comparat q) Aristoteles, alienum quemuis domum intrantem illico allatrantibus, nec attendentibus, sitne amicus domini sui, an inimicus. Quod si tales zelotae *δοκνησιοφλας* capti sunt, tum vero & in illos inuadunt, qui ipsis sunt longe r) doctiores cordatioresque, & quibus praebere se debebant s) discipulos. Atque ita saepe fit, vt probandae doctrinae damnentur, improbandae de meliore nota commendentur. Referri ad hunc ignorantiae zelum meretur *zelus logomachicus*: cuius exempla complura exhibuit in

D 2

Salome

q) *Lib. VII. Ethic. ad Nicomachum cap. 6.*

r) Zelum superioris saeculi anti-Calixtinum vitii non nihil habuisse, dubitare non possunt, qui Calixtum credunt antagonistis doctrina pariter & iudicii acie multo superiorem fuisse.

s) Huc pertinet sapientia triuiali praediti censores librorum: e quibus nunc nominamus *Commentariorum Triuultinorum* conditores Iesuitas. Quod genus Aristarchorum publicae rei literariae, adeoque etiam theologicis literis, esse pestilentissimum, iam dudum in *Consp. reip. lit.* monuimus *cap. VI. §. 9.* Atque exstat ad eos salubris admonitio Feldenii in eius *Instit. Theol. mor. P. III. cap. 5. §. 19.* Vtilis hic etiam erit eorum lectio, quae *de ineruditi zeli incommodis* differit Lamindus Pritanius (quo nomine se velauit ingens illud Italiae suae decus, Muratorius,) in *libri II. de ingeniorum moderatione in religionis negotio cap. 14.*

Salome sua Zeltnerus, quem sua pietas & animi moderatio permultis ordinis sui fecerat perspicaciorum, & ad iudicium de sui temporis controuersis ferendum aptiorem. Denique & is est zelus ignorantiae, qui imitatur exempla zeli extraordinaria, quæ supra t) proposuimus.

XVI. Superest, vt de zelo ignorantiae practicae, hoc est, imprudentiae, non nihil subiungamus. Huc iam supra retulimus illum zelum, quo quis in suam Ecclesiam incendit iram imperantium, quae summa modestia erat mitiganda. Simile exemplum EVSEBIUS u) & LACTANTIUS x) proferunt: quorum prior id laudat, posterior vituperat, idque iustissime. Idem zeli vitium in iis obseruamus, qui Ecclesiam veram perturbant aduersariorumque ludibrio exponunt rixis de leuioris momenti doctrinis. De qualibus doctrinis dum amicum svademus silentium, generatim animaduertimus, non semper pium zelum prorumpere debere in actus externos: quod quidem argumentum iis nunc y) relinquimus, qui
com-

t) §. VI.

u) In *Hist. eccl. lib. VIII. cap. 5.*

x) In libri *de mortibus persecutorum cap. 13.*


y) Consideretur interim aureum apostoli praecep-

commentantur de *prudencia Christiana*. Ultimo loco liceat nobis & maiorum nostrorum notare errorem, qui Lutheri tempore ne politicam quidem societatem ut inirent cum Reformatis Helueticis, impetrare à se z) poterant. Gratias itaque agamus DEO, qui eam postea dedit lucem utriusque partis mentibus, ut hodie securitati suae consulant consilia pariter & arma (si res ita tulerit,) communicando, & vnum constituendo *corpus Evangelicum*. Amor enim veritatis non debet extinguere amorem prudentiae.

tum *Rom. XII. 11.* Vid. & *Feldenii Instit. Theol. mor. P. III. cap. 3. §. 14.*

z) Ven. Weismannus in *Hist. eccl. T. II. p. 167*: *Zuingliani in foedus Smalcaldicum recepti non sunt, insigni aduersus prudentiam politicam errore.* Eodem partim theologico, partim politico in errore versabatur adhuc superiore saeculo Hoëus, Theologus amplae quidem doctrinae, sed zeli haud satis defaecati. Ipsa eius verba recitantur in *Illustris Meieri Actis pacis Westph. T. IV. p. 604.* & copiosius in *Diario Theologico Loescheriano Ao. 1734. p. 570. sqq.* Ac ibi maxime *p. 572.* cum dolore legimus, visam Hoëo hanc suam sententiam fuisse *diuinum oraculum.*

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.

Coll. Diss. A 178, misc 27